

Reformatos, ac nominatim in Calvinum ipsum, directa videri debet. Nam & hic in libris Institutionis suæ, postquam Decalogum & virtutes omnes Decalogo comprehensas explicaverat, prolixè nihilominus quinque; integris capitibus lib. iij. à cap. vj. ad cap. usque xij. de vita hominis Christiani agit, ac speciatim de his ipsis Virtutibus, puta, *de abnegatione nostri, de crucis tolerantia, de futura vitæ meditatione, de usu bonorum vitæ huius*, de quibus hoc capite etiam agunt Remonstrantes. In capite verò vij. ubi de abnegatione nostri agit, simili penè præfatione, qua hic Remonstrantes, utitur, cum ait, *Etsi optimam & aptissimè dispositam constituendæ vitæ methodum habet Lex Domini, visum tamen est celesti magistro, accuratiore et jamnum ratione ad ipsam, quam in Lege præscripsit, regulam suos formare.* Eat nunc Censor, & Calvinum suum cum Anabaptistis, & Socinianis sentire dicat, Legem Decalogi non esse perfectam vitæ Christianæ normam, sed Christum sub Evangelio perfectiorem vivendi regulam discipulis suis tradidisse. Dices fortasse, Calvinum, cum ista tractat, agnoscere interim *Legem Dei habere optimam & aptissimè dispositam constituendæ vitæ methodum.* At nec istud in Confessione sua negant Remonstrantes. Et quis id neget, si ad præcepta legis referre velit, quicquid ad eam, sive per analogiã, sive per prolixam consequentiam referri aliquo modo potest? Deinde, cum hoc crediderit Calvinus, nihilominus tamen affirmat *celestem magistrum accuratiore ratione suos formare ad regulam, quam in Lege præscripsit, idque per horum, quæ hic tractantur a Remonstrantibus, præceptorum traditionem.* II. Censura hæc non inutilis tantum, sed admodum etiam est inepta. *Inutilis est*, quia, quid ad rem facit, sive Christianus credat Legem Decalogi perfectam vitæ Christianæ normam continere, sive id neget, & contra credat, Christum sub Evangelio perfectiorem vivendi regulam discipulis suis tradidisse? Nam, sive hoc, sive istud credat, secundum istam regulam ipsi vivendum est, quam Christus tradidit, sive ea sit perfectior vivendi regula, quam Lex tradit, sive non sit. *Inepta etiam est*, quia Lege Decalogi aperte tradi aliud quippiam, quam quod Deum & proximum spectat, manifestè falsum est: de nostri directione aut abnegatione, de crucis tolerantia, de bonorum ad vitam hanc usu, ne res quidem in ea est, nisi quatenus directio nostri refertur ad observationem præceptorum quatuor, quæ ad Deum & sex, quæ ad proximum pertinent. *Atqui, inquit Censor, Dilectio Dei super omnia in ea traditur ac jubetur: Qui autem Deum supra omnia diligere tenetur, etiam seipsum, ut*

strantes tantum,
sed in ipsum
Calvinum qua-
drare,

Ostenditur
Censuram hanc
inutilem simul
atque ineptam
esse.